

florenorum quingentorum injuste abstulisset et auferri currasset; easdem sua Sacratissima Majestas, juxta benignam superinde factam resolutionem, medio Commissariorum, primo quoque tempore, benigne restitui demandare dignetur.

De executionibus judiciariis in Confiniis non impediendis.

A r t i c u l u s 48.

Si porro Capitanei, Vice-Capitanei, aliique Officiales Confiniarii, aliquas executiones judiciarias in Confiniis et alibi non admitterent; vel quovis modo impedirent;

§. 1. Decretum est: Ut tales Executiones ex bonis ipsius Capitanei; immobilibus, vel mobilibus, abscisis omnibus juridicis remediis, fieri possint.

§. 2. Quas si ipsi Officiales Confiniorum turbare praesumerent; poenam in Articulis expressam incurant.

§. 3. Si autem legitimas testium inquisitiones, authentice institutas, contra Art. 67. Anni 1618. quotiescumque non admitterent; toties in centum florenis Ungaricis convincantur.

§. 4. Atque Statutum istud extendatur etiam ad Regna Sclavoniae et Croatiae. *)

De Liberiis Regiisque Civitatibus et Oppidis privilegiatis, in libertatibus conservandis. Item de Oppidis Sancti Georgii et Bazin.

A r t i c u l u s 53.

§. 1. Ita etiam in Sclavonia: Ubi ne Capitanei et Praefecti Confiniorum, in bona et jurisdictionem Dominorum terrestrium et Liberarum Civitatum, ejusdem Regni Sclavoniae, sub ammissione officiorum, sese intromittant; conclusum est. **)

Commissarii ad revisionem metarum circa Styriam.

A r t i c u l u s 58.

Circa Styriam et Carnioliam; Reverendis. Dom. Benedictum Vinkovich, Episcopum Quinque-Ecclesiensem; Spectabiles ac Magnificos, Comitem Christophorum Bánffy et Casparem Konszky: Egregios item, Magistrum Petrum Znika, Regni Sclavoniae Protonotarium, Gabrielem Chernkoczy, Joannem Ruchich et Petrum Spolarich.

§. 1. Loco autem illorum, quos medio tempore abesse vel mori contigeret; sua Majestas, vel Dominus Comes Regni Palatinus; in Sclavonia autem Dominus Banus, alios idoneos eligat: Et literas Adjudicatorias, quae hactenus in talibus differentiis confectae essent; sua Majestas per eosdem Dominos Commisarios Executioni demandare dignetur.

*) Renovatur; An. 1647. a. 59.

**) Renovatur; An. 1638. a. 19. et 35.